

& visuâ formaliter sumptâ, manifestatiuè dico in quantum anima ipsa seipsam manifestat diuersimodè, id est videndo, audiendo, &c. formaliter tamen consideratâ illâ potentia non postulant diuersa subiecta.

*Ad tertiam.*

*Ad tertium:* Respondeo aliud esse dicere potentiam operandi, & aliud dicere aptitudinem & facilitatem operandi, dum reponitur ab Aristotele in prædicamento qualitatis potentia operandi, non ibi sumitur potentia operandi pro vi, & principio operandi: sed pro facilitate, & promptitudine operandi: dum verò nos dicimus potentias animæ poni in prædicamento ipsius animæ, nec ab ea distingui, loquimur de ipsamet potentia, & vi agendi, non verò de aptitudine, & facilitate; nam hæc facilitas ponitur in prædicamento qualitatis in specie naturalis potentia; & huius discursus, ac distinctionis euentissimum indicium est, quòd dum dicit Aristoteles naturalem potentiam, & impotentiam esse species qualitatis, ibi per potentiam intelligunt Philosophi aptitudinem & facilitatem ad operandum, per naturalem verò impotentiam non negationem potentia sed difficultatem operandi: sicut ergo difficultas operandi ponitur in prædicamento qualitatis, ita & facilitas operandi, non verò ipsum principium operandi: Ex quibus ad obiectionem patet responsio, quæ maximè notanda est, vt eneruetur principale Thomistarum fundamentum.

*Ad quartam.*

*Ad quartum:* Respondeo potentias organicas ex duobus constari, nempe ex vi animæ & ex organo v. g. potentiam visuam ex vi animæ, quatenus recipitur in ipsa pupilla, quæ communiter dicitur organum visus: dum ergo queritur, an potentia v. g. visuâ subiectetur in composito, vel in ipsa anima? Respondendum cum distinctione; nam potentia visuâ quoad organum subiectatur in corpore, aut toto composito, at vis animæ subiectatur in anima; quia tamen illa vis animæ manifestatur peculiari modo in oculo, & peculiari modo in auribus, &c. inde fit vt anima, in quantum videt, dicatur distingui à seipsa, in quantum audit, distingui inquam manifestatiuè, hoc est anima seipsam manifestat diuersimodè, vt informat organum visus, & vt informat organum auditus: vnde ex hoc responderetur ad principale argumentum contrariæ opinionis ponentis distinctionem realem inter potentias animæ hoc modo: potentia auditua existit separata à potentia visuâ, ergo distinguuntur inter se realiter.

Respondendum, inquam, potentia auditua est separata à visuâ, manifestatiuè concedo: verè & realiter, nego; nam reipsa vis animæ, quæ audit, est eadem realiter quæ videt, non dicitur tamen anima videre, vel audire. sed totus homo, quia vt dictum est, potentia visuâ constat ex duobus, quorum vnum pertinet ad animam, alterum ad corpus, quo fit vt tales potentia sensitua dicantur potentia totius compositi, ergo licet deperdatur potentia visuâ quo ad organum in separatione animæ à corpore, non tamen deperditur realiter, & formaliter.

*Ad quintam.*

*Ad quintam:* nega maiorem; nititur enim hæc falsâ propositione, eiusdem sunt generis actus, & potentia; debet enim distingui illa pro-

positio, nam dupliciter sumitur potentia primo vt est principium operandi, sicque diuiditur in potentiam actiuam, & in passiuam ex 2. & 9. Metaph. Alio modo sumitur potentia, prout contrahitur ab actu: allata propositio est vera de potentia accepta hoc secundo modo; hoc enim modo accipiendò potentiam, actus, & potentia sunt eiusdem speciei; quia idem indiuiduum, quod nunc est in actu, prius fuit in potentia; quare primo modo accepta propositio falsa est, loquimur tamen in præsententi de potentia primo modo spectata.

*Ad sextum:* Dum dicit Aristoteles varias esse potentias animæ, debet intelligi de varietate quoad exercitium, non verò de varietate ipsarummet potentiarum secundum se spectatarum: vnde ad argumentum in forma, Respondeo concedendo antecedens, & ad consequens dico quòd anima remaneat vna, eademque potentia animæ realiter sumpta, sed tantum multiplicatur penes diuersa officia. Dices ergo quòd illa pluralitas non sit potentiarum, sed tantum officiorum, aut ad summum pluralitas formalitatum, id est anima vt per organum visus operatur, dicitur potentia visuâ: vt operatur per organum auditus; potentia auditua, & sic de alijs, aut dicuntur esse plures potentia animæ, in quantum anima non est principium v. g. sentiendi nisi mediantibus quibusdam dispositionibus, quæ sunt in organo.

*Ad septimum:* Aristoteles ibi loquitur de potentijs animæ organicis, quales sunt vegetatiua & sensitua, quæ indigent organis ad instar subiecti. Ad illud verò tertij de anima dicendum esse quòd intellectus non sit organicus, bene verò sensus, quia sensus indiget organo non formaliter, sed instrumentaliter, at intellectus neque formaliter, neque instrumentaliter in quantum pendet ex parte principij, licet intellectus ex parte obiecti indigeat organis, quamdiu anima rationalis inclusa est in corpore, sed hoc est merè per accidens & omnino extrinsecum potentia intellectua.

Quod spectat ad locum ex Ethicis dic varios habitus applicari ipsi animæ, sed vnus applicatur ipsi animæ in quantum vult, & alius eidem animæ, in quantum intelligit, &c. imò verò etiam secundum ipsosmet Thomistas eodem numero intellectui applicantur diuersi numero habitus; communiter enim docent Logici quòd quinque sint habitus intellectus, sapientia, scientia, &c. ergo etiam eidem animæ immediatè inhærebunt plures habitus.

*Ad octauum:* negandum est illud principium Thomistarum, quòd videlicet substantia non sint de se operatiua immediatè; nec enim ignis producit ignem per calorem principaliter, sed tantummodo dispositiue, est enim ipsa substantia ignis, quæ producit ipsum ignem in ligno.

*Ad nonum:* cum dicitur: potentia & actus sunt in eodem genere, si sumatur potentia pro principio actiuo vel passiuo, & actus pro eo, cuius dicitur talis potentia, simpliciter est neganda maior; nam etiam secundum Thomistas accidentia habent pro potentia passiuâ aut materiam primam, aut compositum substantiale, quare

*Ad sextam.*

*Ad septimam.*

*Ad octauam.*

*Ad nonam.*